



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

V. An causa remota sit vera & propria causa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

PUNCTUM V.

An causa remota, sit vera & propria causa.

Causam remotam vocamus illam à qua medio effectum, quem ipsa proximè produxit, effectus alius procedit v. g. produxit ignis calorem in se, hic calor calorem alium producit, ad quem immediatè ignis non concurrir, calor à calore productus effectus remotus dicitur ignis producentis calorem in se. Ex quo inferes Deum, qui aliàs est causa proxima omnium creaturarum, in quas immediatè influit, esse simul causam remotam illarum, quæ ab aliqua causa creata producuntur, quatenus influit in creaturam producentem aliquem effectum, exempli gratia: Producit Deus ignem, ignis producit calorem: quatenus Deus immediatè cum igne concurrir ad producendum calorem, est causa proxima illius, quatenus produxit ignem, à quo calor producit dicitur causa remota caloris.

Communis loquendi modus causas remotas simpliciter causas appellat, neque de hac re distinctè antiqui quæstionem instituere. Hurtad. disput. 8. sect. 4. multis intendit probare causam remotam non esse propriè causam, neque dicendam esse causam per se. Arriaga disp. 7. sect. 4. asserit quæstionem hanc de nomine, in re enim siue dicatur causam remotam esse veram causam & per se influere, siue dicatur non esse propriè causam, & influere per accidens, idem omnino influxus illi est concedendus, neque noua causalitas conceditur, aut negatur, omnes enim admittunt causam remotam influere immediatè, & per se in proximam, & hanc in effectum, & nullus causæ remotæ influxum aliquem præbet præter illum, quem præstat circa suum proximum effectum influentem in alium, cuius causa dicitur. Fateor rem ita se habere, neque in hoc posse aliquod esse discrimen in re, existimo tamen in præsentem multum curandum esse de modo loquendi, tum quia debemus loqui nominibus rebus accommodatis, si enim quis diceret Petrum esse equum, & postea diceret Petrum esse animal rationale, & nullo modo esse animal hinnibile tantum in nomine à reliquis Philosophis dissentiret, tamè hoc modo nominibus abutens ab scholis explodendus esset, omnes enim scientias, illarumque terminos perturbaret, tum etiam quia ex modo loquendi in hac re dependet solutio quæstionis non contemnendæ in Philosophia: an videlicet effectus suam causam remotam producere possit, quod si modò assero causam remotam tantum esse causam per accidens, magnum robur tribuo sententiæ, affirmanti: si verò causam remotam propriam, & per se causam appellem, virescunt negatiua sententiæ quæstionis iam propositæ, quia quod est per se causa, est per se prius, ac proinde non poterit esse posterius, nihil enim potest esse prius & posterius respectu eiusdem.

Dupliciter potest influere causa remota, primò eo modo, quo meus auus in me influxit, qui produxit meum patrem, quem postea non conseruauit, & ita, quando meus pater in me influxit, iam non dependebat à meo auo. Alio modo potest influere causa remota, actu produciens, vel conseruans causam proximam, à qua illius remotus effectus proximè dependet, sicuti ignis, qui actu conseruat calorem in se, qui calorem producit in ligno. Assero causam remotam propriè, & per se physicè influere quando influit posterio modo assignato in effectum actu influentem in alium. Rationem huius conclusionis pro multis quæstionibus Theologicis atque Philosophicis obserua. Quotiescumque effectus dependet ab aliqua causa, ita ut non possit subsistere, illa deficiente, quin alia suppleat vices illius, dependet ab illa tanquam à causa propriè, & per se influente. Ratio est manifesta: illud, quod ab alio, per accidens dependet, eodem modo subsistit, siue absit, siue adsit nullo vices illius supplet, ut patet in ædificio, quod per accidens pendet ab habitu Musicæ, quem habet artifex, & ita eodè modo subsistit, siue adsit habitus, siue absit, etiam si nullus loco illius subrogetur. Deinde quia quotiescumque effectus perseverat deficiente aliqua illius causâ, loco cuius alia substituitur, non potest inferri causam illam non esse causam propriè & per se. Aliàs ignis non esset causa propria caloris, neque Petrus generans Ioannis geniti, quia deficiente igne, qui calorem producit, & deficiente Petro,

qui Ioannem genuit, remanent calor productus, & Ioannes genitus, quia Deus ut causa prima substituitur loco loco causarum primò producentium ad hos effectus conseruandos. Ex hoc principio infero ignem procedentè calorem in se esse propriè causam respectu caloris producti in aqua à calore in igne producto, quod sic probò: deficiente igne, qui calorem in se produxit, si alia causa loco illius non substitueretur, deficeret calor productus ab igne, quia non potest permanere sine conseruante: ergo si deficeret antiquum conseruans, & aliud non succederet, deficeret calor conseruandus, qui fuerat ab igne productus. Rursus deficiente calore producto ab igne, si non substitueretur alia causa loco illius, deficeret calor productus in ligno propter eandem rationem: ergo de primo ad vltimum deficiente igne si alia causa non sustineretur loco illius non permaneret calor in ligno ex vi eiusdem influxus, quo ante erat productus: ergo dependebat tanquam à causa per se ab igne, sine quo, vel sine alio loco illius non potest conseruari ex vi eiusdem influxus.

Effectum, qui primo modo dependet à causa remota actu non influente in proximam existimo non dependere ab illa physicè tanquam à causa propria, & per se, neque respectu huius effectus causa remota propriè potest dici causa per se, quod sic probò. Causa remota non influit physicè adhuc remotè in instanti in quo producit proximum effectum, non in instanti in quo effectus remotus produciatur: ergo numquam à primam partem antecedentis sic probò: in instanti in quo causa hæc producit suum proximum effectum non existit effectus remotus, ut supponimus: ergo non potest causa in illum induere, influxus enim dicit dependentiam vnius ab alio, illud autem quod non est neque proximè, neque remotè est dependens, ego enim non poteram dici dependens, à meo auo in instanti, quo meus parens genitus fuit, in quo & multis postea annis, nondum exitebam, & eram æquè indifferens ad existentiam cum multis indiuiduis, quæ ab eodem parente potuerunt procreari, & procreata non fuere, neque maior erat ratio cur ego dicerer tunc dependens à meo auo, quam illa indiuidua, quæ potuerunt produci à meo parente, & producta non fuere: ratum ergo sit effectum non dependerè physicè à causa remota in instanti, in quo effectus non produciatur, sed à causa proxima, à qua produciendus est. Secundam partem antecedentis probò. In instanti in quo ego genitus fui à meo parente per eandem omnino actionem, & omnino eodem modo essem productus, siue meus auus in illo instanti existeret, & numquam ex eo quod non existeret, necessum est aliquam aliam causam in me influere, quæ non influeret si existeret meus auus: ergo existentia mei aui in instanti, in quo fui productus, omnino per accidens se habet ad meam productionem: ergo in illo instanti in me non influit, neque poterit dici causa per se meæ entitatis, neque proxima, neque remota, quia potest non existere, id autem quod non existit, neque remotè influit in effectum; quod si existat æquè per accidens est illius existentia ad mei productionem, ac si non esset: ergo numquam potest esse causa per se. Vna hæc est ratio conclusionis huius: effectus remotus hic & nunc æquè produciatur existente, & non existente causa remota, à qua proxima hic & nunc non dependet: ergo talis causa remota omnino per accidens se habet respectu effectus.

Dixi physicè non dependere hunc effectum à causa remota, quia sentio moraliter dependere ab illa tanquam à vera causa morali, non quatenus existente in instanti, in quo produciatur effectus remotus, sed ab illa quatenus existenti in instanti, in quo causa proxima fuit producta. Rem probò, & explicò: ego in hoc instanti, in quo producor, dependeo à mea causa immediata, & ab omni illo, à quo mea causa immediata in eodem instanti dependet: sed meus parens in instanti generationis, in quo ego dependeo ab illo, dependet moraliter ab existentia præterita mei aui, ergo eadè dependentia, qua meus parens dependet immediatè in hoc instanti generationis, ego mediatè ab eodè dependeo. Minor tantum indiget probatione: meus parens hic & nunc conseruatur ex eo quod fuerit antea productus à meo auo existente, & si tunc illa productio non præcessisset, hic & nunc non conseruaretur, quia Deus hunc influxum, ex vi cuius meus parens conseruatur, substituit loco actionis præteritæ à meo auo exhibitæ: ergo si illa actio non præcessisset, non esset modò hæc conseruatio, neque

neque meus parens existeret: ergo hic & nunc meus parens in instanti meae generationis dependet ab actione, quae processit à meo auctore existente: non physice, quia nihil physice dependet ab illo, quod non est: ergo moraliter: ergo eadem dependentia, quia meus parens proxime dependet, dependeo ego remotè iuxta doctrinam traditā. Ex hoc inferes me modò physice dependentem tantum à Deo conseruante, moraliter dependere ab omnibus meis progenitoribus, quia quod Deus hic & nunc me conseruet, dependet ex eo quod illi praecesserint, & altero eorum deficiente, non me conseruaret ex hac numero prouidentia, & serie decretorum, ex qua hic & nunc mea conseruatio dependet. Quod si Deus modò modò me conseruaret per decretum, quo decerneret hic & nunc meam existentiam non prauius actione, quā sui primò productus à meo parente, ita ut ex vi eiusdem decreti modò existerem, etiam si nullus ex meis progenitoribus praecessisset, neque physice neque moraliter ab illis dependerem, quod ex doctrina tradita clarè constat.

6 Vno haustu totam doctrinam traditam solido, vniuersaliq; principio probauit, & fundamentum Hurtadi destruxit, & quod magis mirabile est non aliam impugnationem contra Hurtadum adduxit, quam ipsi debere non possem, sic ait ibidem sect. 9. §. 175. nescio an sanè sibi constans: *Causa per se est, quae per se necessaria est ad effectum, ita ut sine illa effectus esse non possit.* Subdit ipse immediatè: sic ignis, & aqua, aliaeque causae remotae sunt per se causae calefactionis in ligno procedente à calore in ipsis existente, quia licet calefactio adaequare dependat à calore, ignis tamen, & aqua sunt necessaria ad existentiam caloris: quomodo autem haec componenda sint cum sententia, quam ipse tradit sect. 4. non calleo: illum arguentem audiamus, sic inurgit: Primò, deficiente causa remota eodem modo remanet effectus: ergo effectus non pendet à causa remota. Distinguo antecedens deficiente causa remota, & supplente aliā locum illius, concedo: deficiente aliā & nulla vices illius supplente remanet effectus, nego. Sed posses instare: Demus modò Deū producere ignem, & ignem producere calorem in se, & calorem productum in igne producere calorem in ligno approximato, & calorem productum in ligno, sensationem in uiuente; dummodo Deus conseruaret calorem in ligno permaneret sensatio: sed conseruans calorem in ligno tantum suppleret concursum, quem praestabat calor productus in igne; ergo destructo igne, qui erat causa remota sensationis, & nullā aliā causa subrogata, loco ignis permanet sensatio: ergo & ex vi eiusdem actionis: ergo ignis qui erat causa remota sensationis non influebat per se in sensationem. Resp. Deum conseruante calorem productum in ligno non solum supplere in ordine ad illum calorem vices causae proximae, à qua producebatur talis calor, sed etiam omnium causarum remotarum, quia subrogat suum influxum loco alijs, qui dependebat ab alijs causis, & immediatè, & per se Deus praestat calori, quem modò conseruat, totum illud, quod praestabant omnes causae remotae à quibus dependebat, ac proinde vices omnium supplere dicitur. Ex hac doctrina Minor illa: *Sed Deus conseruans calorem in ligno tantum suppleret concursum, quem praestabat calor in igne: ut sonat, concedenda est; sed negandum quod intendit arguens videlicet hoc tantum esse supplere vices principij proximi illius conseruationis: qui enim supplet concursum dependentem à pluribus causis remotis, & ab vna proxima, in ordine ad effectum conseruatum ex vi illius influxus, qui loco praecedentis subrogatur, supplet non tantum vices causae proximae, à qua ille influxus dependebat, sed etiam omnium remotarum.*

7 Obiic. secundo Hurtad. Eodem modo influit causa proxima in remotam, media proxima, quo potentia visua videt subiectum albedinis, media albedine: sed qui videt albedinem, non videt subiectum media albedine; ergo qui influit in effectum remotum, mediā illius causā proximā, non influit in illum effectum. Respondeo negando antecedens, est enim longè diuersissima ratio, ego enim non dicor remotè videns subiectum albedinis, quia albedo quam ego video, videt subiectum cui inhaeret, sicuti dicor influere remotè in motum localem, quia immediatè influit in hunc impulsus, in quem ego influo; albedo enim subiectum non videt, imò etiam albedo parietem videret, non diceret ego videns parietem media albedine, sicuti ex eo quod videam Petrum Solem videntem, non dicor Solem videre, quia visio, qua Petrus videt So-

lem, & visio, qua ego Petrum video, omnino dispartat se habent, & etiam si vna ab alia dependeat, visio Petri non potest me videntem constituere, quia videre formaliter dicit immanentiam, visionemque in me receptam; causare autem non dicit hanc immanentiam, & ideo etiam causa proxima dicitur actu causans per effectū ab illa adzquatè distinctum, & nullo modo vnitum, & materialis causa etiam praecisa vnione causae materialis formae in actu secundo constituitur.

8 Obiic. tertio opinionē Durandi afferentis effectus productos à causis secundis tantum mediatè pendere à Deo, quam omnes Theologi damnant, quia ex illa sequeretur Deum non esse causam per se illorum: ego sentiant Theologi causam remotā non esse causam per se. Resp. Theologos non damnare hanc sententiam, quia ex illa inferatur Deum non esse causam per se effectū, quos producit medijs causis secundis, sed quia asserit, Deum non esse causam proximam illorum, quod per se absurdum est, quia cum causa remota non influat in effectum nisi quatenus influit in causam proximam illius, sequeretur semel producto Angelo Deum non posse impedire illius operationem quod absurdissimum est.

PUNCTVM VI.

An idem effectus possit dependere diuissim à duplici causa.

1 IN hanc quaestionem non cadunt intrinsecae causae. Certum enim est duplicem causam intrinsecam numero distinctam, non posse causare eundem numero effectum. Ratio est manifesta: Causa intrinseca identificatur cum effectū, & compositum hoc nihil aliud est, quā hāc materia, hāc forma, & hāc vnio; ergo nequit dari hoc compositum sine hac materia, hac forma & hac vnione: ergo si loco huius materiae alia poneretur, aliud esset compositum. Neque effectus negatiui maiorē locum inueniunt in hac quaestione, licet ratione opposita, quia nullus dubitat eandem expulsionē, seu carentiam frigiditatis in hoc subiecto posse ab hoc vel illo calore procedere, quicumq; enim calor adueniens expellit eandem frigiditatem, quā inuenit in subiecto, & ita eandem carentiam eiusdem frigiditatis inducit. Relego etiam ab hac quaestione finalem causam, quae nimis improprie causa dicitur, non enim dubium est me posse idem iter agere causā inuisendi amicū, aliudve negotium tractandi, licet non defuerint, qui dixerint actionem diuersam ex diuersa intentione procedere. Ita P. Arrub. 1. p. disp. 58. c. 4. & 5. quem sequutus est P. Hurt. tr. 2. disp. 117. c. 2. n. 11. quorum fundamentum hoc est. Actio procedens à principio diuerso, diuersa esse debet, quia per se ipsam illud attingit: sed intentio est principium actionis; ergo ex diuersa intentione diuersa actio procedet: Distinguo maiorem: posito diuerso principio physico, à quo actio per se ipsam depēdet, actio est diuersa, concedo maiorem: posito principio distincto morali, à quo actio per se ipsam non dependet, nego maiorem: sed intentio est principium actionis, distinguo eodem modo: est principium physicum, à quo actio per se ipsam dependeat, nego minorem: est principium morale, à quo actio non dependet per se ipsam, concedo minorem; deinde nego consequentiam.

2 Restat difficultas haec de causa materiali respectu formae, & de causa efficiente, leuis vtraque, & leuissima, vel nulla respectu causae materialis; eadem enim forma, quae educitur ex hac materia potuit ex alia educi, omnes enim materiae de facto existentes sunt eiusdem rationis, & quilibet capacitatem habet ad recipiendam quamcumque formam, & ita haec materia potuit antecedenter recipere formam, quam de facto recipit alia materia, & forma ab hac & illa materia, diuissim dependere. Trahitur tota difficultas ad duplicem causam efficientem vtramque creatam, quia de vna creata, & altera increata dubium esse non potest, certum enim est Deum posse se solo producere effectum, quem causa secunda producit.

3 Negant Capreolus, & Mar. relati à P. Soar. in Metaph. disp. 26. sect. 5. in quam partem propendit D. Thom. quodlibet 5. existimant enim hi Doctores quamlibet causam sub se habere classem quādam effectum adzquatè distinctam; ita ut nullus effectus, contentus in virtute huius causae in illius virtute contineatur. Afferunt P. Suarez. iam relatus